



Universitätsbibliothek Paderborn

Cornelii Iansenii Episcopi Iprensis Avgvstinvs

In Qvo Genuina sententia profundissimi Doctoris de Auxilio gratiæ medicinalis Christi Salvatoris, & de prædestinatione hominum & Angelorum proponitur, ac dilucidè ostenditur

Jansenius, Cornelius

Lovanii, 1640

Cap. 1. Discrimen duarum opinionum de prædeterminatione physica & gratia congrua. In quo S. Augustini sententia cum utraque conveniat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13704

INCAPVT PRIMVM.

Discrimen duarum opinionum de prædeterminatione physica,
& gratia congrua. In quo sancti Augustini sententia
cum utraque conveniat.

QUONIAM modo divinæ gratiæ effi-
cacia cum arbitrii libertate consen-
tiat, summa hoc tempore & capita-
lis controversia est. In quorum con-
ciliatione magnis viribus à Scholasticis Do-
ctoribus laboratum est, quibus major, aut mi-
nor occurrit difficultas, prout actio gratiæ in
voluntatem efficacior, aut remissior ad eis con-
sistitur. Itaque diversis modis à diversis hoc
tentatum est, & ad solum istum scopulum de-
clinandum, diversi & repugnantes operationis
modi gratiæ Christi attributi sunt. In quorum
explicatione atque defensione, quia omnes aut
penè omnes modi, qui in ista conciliatione
gratiæ & liberi arbitrii difficultatem ingerunt,
à Scholasticis tacti aut soluti sunt, non abs re
fuerit, eorum de gratia sententias, quæ fusi-
us tractate passim reperuntur, breviter perstrin-
gere, ut cum qua illarum, hæc doctrina de
gratia medicinali Christi, quam ex Augustino
hactenus proposuimus, affinitatem, & quan-
tam & qualem habeat aut non habeat, perspi-
cua appareat. Sic enim simul statim lucebit,
quibus difficultatibus obnoxia sit, & quò pa-
te ex eis expediri etiam secundum Scholasti-
corum doctrinam possit aut debeat.

Doctores igitur hujus temporis qui de gra-
tia efficaci magno conatu disputant, in duas
capitales opiniones distracti sunt. Alij natu-
ram ejus in quadam Dei motione aut impulsu
collocant, quæ ex se voluntatem efficaciter
determinet ad consensum, ita scilicet & ut eâ
positâ & passivè receptâ in voluntatem, ita-
tum consensus ejus præsto sit, simulque stare
non possit ut dissentiat. Hanc ut aliquis habeat
dicunt non esse in hominis potestate, quia da-
tur & negatur ex divino beneplacito, sine
quâ tamen fieri non possit, ut quicquam aut
boni operetur aut mali. Necessitatem ejus
tantam ex duplici capite proficisci, ex sub-
ordinatione secundæ causæ sub prima, & ex
indifferentia liberæ voluntatis, quæ non est
apta ut aliquid agat, nisi ab agente superiori
determinetur. Alij existimantes istiusmodi
operationis efficaciam directè evertere arbi-
trii libertatem, excogitarunt aliud gratiæ ge-
nus, cujus operationis modus isti priori ex
diametro advesetur. Dicunt enim gratiam
efficacem esse sitam non in tali motione vo-
luntatem prædeterminante, sed in quadam
illuminatione intellectus & motibus volun-
tatis, quibus Deus & allicit voluntatem ut
velit, & vires volendi tribuit, simulque con-
currit cum voluntate si voluerit. Ut autem
cum illis adiutoriis velit, aut resistat eis, hoc
non fieri ex aliqua prædeterminatione Dei

A in hanc aut istam partem, sed ex libera optio-
ne voluntatis: quæ quantumcumque gratia
allicit atque blandiatur, consentit, dissentit,
quæ si velit. Primi vocant communiter gra-
tiam istam suam prædeterminationem physicam,
secundi congruam. Illa fere defenditur à se-
ctatoribus sancti Thomæ; hæc à Francisco
Suarez, Lessio, Molina, & alijs multis. Nam
quævis aliqua inter Suarez cum suis ex una,
& Molinam, Lessium cum ceteris ex altera
parte discrepantia sit, illa tamen magis divi-
nam voluntatem ex qua gratia proficiscitur,
quam diversum operandi modum quem ha-
beat gratia, aut consentiendi quem voluntas,
respicit. Vtrique enim statuunt Deum explo-
rare per scientiam conditionatam, quid vo-
luntas libera cum qualibet gratia, si daretur,
vellet aut faceret; quo explorato illi voluntas
dari gratiam cum qua voluntas operatura
prævidetur, ex decreto Dei prædestinantis, ut
talis effectus fiat; hi vero ex alijs considera-
tionibus aut regulis providentiæ, Inter ista
duo gratiæ genera generatim hoc discrimen
est, quòd illi qui prædeterminationem physi-
cam defendunt, magnopere laborent ne arbi-
trii libertatem destruxisse videantur, alij ne
Christiana gratiæ veritatem. Nam ut illis
vino vertitur quòd nimium extollunt gra-
tiam, ita istis quòd nimis deprimitur. Hinc
adversariorum criminatione illis Calvinis-
mus, ab aliquibus istis Pelagianismus impin-
gitur.

Quod si quis discrimen istud duarum ista-
rum sententiarum vel solum præ oculis ha-
beat, non est difficile animadvertere, quid re-
spondendum sit interroganti, cum utrà tan-
dem, doctrina de adiutorio medicinali Christi,
quam tanquam veram Augustini sententiam
ex ejus scriptis undique concinentibus pro-
duximus, convenire statuenda sit. Dicendum
est enim, ex integro cum neutra convenire,
sed aliquid ab utraque sumere. Nam à priori
accipit, quod voluntati consensum efficaci-
ter inclinando atque adeò prædeterminando
largitur; à posteriori, quod sit actus qui-
dam vitalis, utpote cælestis, & Augustini
phrasi, ineffabilis suavitatis delectatio; non
tamen expectat impulsu voluntatis ut se-
cum influat, sed ei tribuit: nec haret quo-
dammodo ex arbitratu voluntatis eligentis
ut velit aut nolit, sed arbitratum volendi,
ad hoc ipsum determinando suavitatis effi-
cacia voluntatem, efficit. Ex quo fit ut quod
in gratia medicinali Salvatoris essentiale ac
formale est, in Augustino illi animadverten-
tint, hi vero quod quodammodo materiale.

Itaque

Itaque longè propius illi ad veritatem accesserunt. Ipsam quippe medullam gratiæ Christi respectu læsæ voluntatis, hoc est, **ADIVTORII** quo tetigerunt, quæ in ista potenti consensio- nis efficientia ac donatione consistit; & per illam ab omni alia spuria gratia, quam Pelagiani & Semi-Pelagiani prædicarunt, maximeque ab illa gratia *sine qua non*, quæ stantis hominis & Angelorum voluntati pro-

Apria est, separatur. Ut sane merito dici possit, doctissimos illos viros primæ sententiæ defen- sores, veram Augustini sententiã de gratia Salvatoris vidisse atque tenuisse. Quod si quid ei ulterius adjecerunt, ex superfluentibus hu- mana Philosophiæ excessibus factum est, qui ad tuendam perspectam veritatem, satagentis animi conceptibus naturalem scientiam in subsidium rapientibus, ebullire solent.

CAPVT SECVNDVM.

Varia discrimina proferuntur inter adiutorium Dei medicinale & prædeterminationem physicam, prout à defen- soribus eius traditur.

SI enim iustis ponderibus totum illud quod physica prædeterminationis auctores ad Augustini sententiã expli- candam tuendamque dicunt, metiri & excutere voluerimus, perspicue deprehende- mus nonnulla adjecta esse à recentioribus, quæ cum August. doctrina nullo modo congruunt.

Et quidem quod Christi auxilium nomine prædeterminationis physica, quod Augustino ignotum est, nuncupaverint, nihil refert. Suffi- ceret si rem ipsam sanctus Doctor traderet. Cum enim aliquid propter novas opiniones emergentes efficaciter exprimendum & accu- rate ab alijs distinguendum est, rem veterem novo vocabulo insignire nihil vetat. Sed et- iam in rebus ipsis, operanti modo accessorij, non mediocriter discrepantia est.

Nam primo, juxta sententiã istorum re- centiorum, prædeterminatio physica est motio pascio quæ virtuosa, quæ habet esse quod- dam incompletum, & sit in voluntate per mo- dum quo colores sunt in aëre, & impetus in re quæ impellitur. Cujus profecto speculationis in Augustino nullum vestigium esse vi- deo. Nam Augustino vera Christi gratia est verissimus motus voluntatis, ineffabilis vide- licet delectatio objecti quod proponitur, quæ totum animum cum ingenti iucunditate sur- sum rapit, quemadmodum nos fulsissime supra demonstravimus. Vnde non est sicut color in aëre, aut virtus artis in instrumento, sed sicut verissima & realissima voluntatis affectio in suo connaturali & proprie dicto subjecto esse solet.

Secundo prædeterminatio physica non est eis actus vitalis animi, sed aliquid cui voluntas tantum passivè subjacet; Christi adiutorium est actus verus & vitalis, quo anima haud secus afficitur, movetur in Deum, ac quando simili delectatione terrenis rebus in- hæret. Idcirco quippe datur animo pernicio- sis desiderijs & voluptatibus implicato, ut earum impetus illa cælesti ac **VICTRICE DELE- CTATIONE** superetur. Nam ex illo effectu et- iam nomen victricis delectationis ei im- positum est, de quo etiam supra loco suo satis dictum est. De hac igitur gratia sanante animum, ac vehementissime delectante mo-

Atibus suis delectationi carnis repugnantibus, & adjunctis ei intellectus illustrationibus, Au- gustinus innumeris locis loquitur. ubi de vera Christi gratia contra Pelagianos asserenda & explicanda occupatur. Nec ullus omnino lo- cus ex universis Augustini Scripturis, quantum intelligere potui, proferri poterit, qui talem prædeterminationem tanquam Christi gratiam præ se ferat aut probez, sed loca solummodo quædam generalia, ut quod Dei dicitur: *Ave- lere cor sapientem, h. Facere ut velimus bonum, facere ut sciamus, operari velle & perficere, præbere vias efficacissimas voluntati: h. non h. ex mala natura in bonam: d. Cor regis occultissima & efficacissima po- testate convertere, & transire de voluntate laevi ad voluntatem dexteri: & trahere miris modis in ho- mines viciat, & volentes ex nolentibus fieri: & interna atque occulta, mirabili ac ineffabili potestate operari in cordibus hominum bonas voluntates: & vocatione alta atque secreta sic agere hominis sensum, ut eadem legi atque doctrina accommodaret assensum: h. duri- tiam cordis auferre: i. ad se convertere hominum vo- luntates: & mirabili modo & ineffabili operari velle. Vocare secundum propositum ut fiat credens, & hu- jusmodi, quæ quidem indicant Deum volun- tates hominum inclinare atque determinare quo voluerit, sed in omnibus istis ac similibus testimonijs, non est unus apex, qui hoc signi- ficet, per hujusmodi prædeterminationem ex philosophia profectam effici. Nam ea in alijs etiam eorundem librorum locis, ubi determi- natius se explicat, ad eos quos diximus dile- ctionis motus restringuntur: quos cum ipsi- met prædeterminationis auctores sub illa præ- determinatione comprehendere volint, relin- quunt, sperant vim inferi testimonijs Au- gustini, quibus sententiã illam suam asser- tam voluit.*

Tertio prædeterminatio physica talis esse dicitur, ut in quibuscumque circumstantijs voluntas collocetur, semper faciat facere & operetur effectum suum, omnem quæ superet resistentiam: Christi adiutorium nullo modo. Nam delectatio victrix quæ Augustino est effi- cax adiutorium, relativa est. Tunc enim est vi- crix quando alteram superat. Quod si contin- gat alteram ardentiorem esse, in solis inefficaci- bus desiderijs hærebit animus, nec efficaciter

*Videtur, a. de
Iur. civ. lib. 1.
c. 1. & seq.*

Ibid. c. 34.

*Lib. de gra.
& lib. arit.
cap. 14.
cap. 16.
cap. 19.
Lib. 1. ad
Bonif. c. 20.
e. lib. c. 19.
Lib. de grat.
Lib. 1. c. 24.
Epist. 107.
a. Vitalen.
Lib. 1. de præ-
dest. 55. c. 8.
Ibid. cap. 20.
& ibid.
I. ibid. c. 16.*

